

426

424

430

420

435

415

475

375

411

rupium repletus; quae concavitates fuerunt veterum sepulchra.  
Postea vero fuerunt monachorum et Sanctorum habitacula,  
nunc vero sunt tam a mortuis quam a vivis desolata, nisi  
quod in aliquibus habitant quidam infelicissimi homines infide-  
les, qui propter eorum infidelitatem nullibi alias possunt vivere  
inter homines. Has cellulas intuebamur cum admiratione de  
Sanctorum praeteritorum sobrietate, qui amore Dei et terrae  
sanctae affectione inter mortuorum monumenta se concluserunt  
et in parvis cavernis se continuerunt. Indignabamur autem  
nobis ipsis, quod in magnis palatiis et spatiosis et ornatis  
monasteriis taedet nos stare, quia et Dei amore tepescimus  
et in coenobitica vita deficimus.

De specu S. Jacobi Apostoli, in quo latitavit in  
captione Domini.

325

Interea dum ulterius descendissemus, in unam grandem  
speluncam venimus, multis laboribus rupibus incisam, multa  
habens penetralia tenebrosa, et cavernas supra et infra, et  
foramina tamquam fenestrae sunt in superioribus habitaculis  
incisa. Dum (**B**) autem in hoc specu deambularemus, venit  
mihi in memoriam, similem vidisse per omnia in Suevia prope  
Gamundiam, quem nominant Eberstein. Si quis eandem videt,  
vidit et illam, nisi quod illa est major et profundiorem habet  
cavernam. In hunc specum capto Domino confugit S. Jacobus  
minor, et in eo latuit, vovitque, mortuo in cruce Domino, ut  
dicit Josephus et Hieronymus de viris illustribus, se non  
comesturum, donec videret Dominum a mortuis surrexisse. In  
die ergo resurrectionis Dominus ad eum in hunc specum  
venit et cibum eimet ministravit. De hoc Apostolo vide supra  
fol. 106. A. Post necem vero Apostoli corpus ejus in hunc  
specum fuit deportatum, et ibi sepulturae traditum. Unde ex  
tunc locus coepit a Christi fidelibus venerari et visitari usque  
in hodiernum diem. Qua propter Dominus Sixtus IV. indul-  
gentias plenariae remissionis ad locum illum posuit, quae  
fuerunt in mea prima peregrinatione primo promulgatae, et  
bulla plumbea in loco poenitentibus omnibus peregrinis lectae.  
In illo ergo loco procidimus, et dictis orationibus in processionali

Ende

Anfang

